



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola Synodalis De Rebus In Synodo Gestis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

terrarum ora ad alteram vsque se porrigentem.

Hanc fidem a sacrosanctis euangeliis accepimus, ipso  
*Matth. 28.* Domino suis discipulis dicente: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*  
 Si vero ista non credimus, sicut vniuersa catholica ecclesia & scripturæ docent, quibus quidem omnino fidem adhibemus; iudex noster Deus sit in præsentia, & in futuro iudicio. Quapropter tuam pietatem obsecramus, imperator sanctissime, vt quoniam viri ecclesiastici sumus, & sensum tum ecclesiæ, tum sacrarum literarum tenemus, nos pro tua sanctimonia, quæ & pacem conciliat, & Deum auguste veneratur, controuersis omnibus & inanibus argutiis sublatis, matri nostræ ecclesiæ scilicet adiungas: vt & nos & ecclesia tranquille vitam degentes, inter nos mutuo pro pacato & pio regni tui statu, & pro vniuerso hominum genere omnes communitè consuetas preces peragamus.

## EPISTOLA SYNODALIS DE REBUS IN SYNODO GESTIS.

*Sancta Synodus Hierosolymis coacta, ecclesiæ Dei quæ est Alexandria, & per Aegyptum, Thebaida, Libyam, Pentapolim, reliquisque per orbem episcopis, presbyteris, & diaconis in Domino salutem.*

**O**MNIBVS nobis ex diuersis prouinciis in vnum congregatis ad panegyrim celebrandam pro dedicatione martyrii Saluatoris, quod religiosissimus imperator Deo omnium regi & Christo eius ædificauit; maiorem nobis animorum lætitiã, Dei gratia, literæ eiusdem religiosissimi imperatoris præbuerunt; quibus nos ad ea quæ oportuit instigans omnem inuidiam ab ecclesia Dei expellit, & omne odium procul abigit, per quæ Christi membra iam pridem dissidebant; auctorque fuit, vt simplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquamdiu improba inuidia extra ecclesiam detinuit, & viris istis de rectitudine fidei in literis suis testimonium præbet, quam cum antea fama audiuerat, ipse eandem ex viua eorum voce cognouit, cognitamque approbauit; eamque rem nobis manifestam reddidit: eo quod literis

ANNO  
CHRISTI  
335.

teris suis orthodoxas eorum virorum opiniones scripto comprehensas subiunxerit, quas omnes agnouimus sanas & ecclesiasticas esse. Quapropter iure admonuit, ut viri isti reciperentur, & coadunirentur cum ecclesia Dei, ut vos ex epistola eius exemplaribus cognoscetis, quæ nos ad pietatem vestram misimus. Credimusque vobis ipsis, veluti propria membra vestri corporis recuperantibus, magnum ex ea re gaudium latitiamque oborituram, dum ipsi viscera vestra, fratres scilicet & patres agnoscitis & recipitis, non solum presbyteris Arianis, sed vniuerso populo cum omni multitudine vobis restituto, quæ ob causam istorum virorum longo iampridem tempore a vobis dissidebat: decetque vos, cognitis quæ hic acta sunt, quodque viri isti nobiscum communicauerunt, & a tanta sacra Synodo recepti sunt, quam promptissime eos, ut membra ecclesiæ coeant, & in pace sint, consalutare; maxime, quod promulgata & publice edita eorum fides indubitata & apud omnes approbata apostolicam traditionem & doctrinam completatur.



VITA,

ANNO  
CHRISTI  
336.

EPISTOLA ET DECRETA  
MARCI PAPÆ.

**M**ARCUS natione Romanus, ex patre Prisco, <sup>b</sup> fedit annos duos, menses octo, dies viginti vnum. Fuit autem temporibus Constantini Augusti, & Nepotiani ac <sup>c</sup> Secundi consulum, <sup>e</sup> ex die Kalendarum Februariarum, <sup>d</sup> vsque in diem Kalendarum Octobris. <sup>e</sup> Hic constituit, ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum Urbis, tunc <sup>f</sup> pallio vteretur, & ab eodem episcopo Urbis Romæ consecraretur. Et constitutum de omni ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas basilicas, vnam via Ardeatina, vbi requiescit; & aliam in vrbe Roma, iuxta Palatinas. Ex huius suggestione obtulit Constantinus Augustus basilicæ, quam <sup>g</sup> constituit via Ardeatina, fundum rosarum, cum omni agro campestri, præstantem

\* come-  
terium  
consti-  
tuit

Concil. Tom. 2.

Zzz